



Trebeta filius fuit Nini regis Assyriorum, atq; Nemrothi nepos. Hunc Semiramis nouerca, quæ post mariti obitum regnum obtinuit, ditione sua expulit, & maximè persecuta fuit. Itaq; ipse circiter annum mundi bis millesimum, atq; post diluvium trecentesimum quadragesimum secundum, cum Abraham quinquaginta annorū esset, in Germaniam profectus, ob plurimas artes ibidem in magno precio fuit. Postea socijs assumptis Rhenum transiuit, atq; ad Mosellam in loco amoenissimo urbem cōdidit, quam à suo nomine Treuerim appellavit. Itaq; urbs illa cæteris omnibus eius loci ciuitatibus antiquissima existit. Postea etiam legib; ex-

culta, & religione ornata in tota vicinia principatum obtinuit. Hæc ergo (ut Aeneas Sylvius testatur) mille trecentis annis Roma antiquior fuit. Cum ergo Trebeta h̄s in locis suas artes hominib; ostendisset, atque inter mortales conspicuus fuisset, tandem etate grauis uitam cum morte cōmutauit. Monst. lib. 2. Cosmograph.